



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90117999

§. 30. Guido Prior Cartusianorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

Sæcul. XII.
A.C. 1115.
excommunicationis fulmen contra Imperatorem intorsit. In alia regione Saxonum, seditione in Henricum commota, Cardinalem Theodoricum in Hungaria Legatum advocarunt, qui Decreta Concilii Lateranensis anno millesimo centesimo duodecimo edita, in Saxonia promulgavit, ac Archiepiscopum Magdeburgensem, ceterosque in illa provincia Episcopos Ecclesiæ Romanæ reconciliavit.

Ab. Ursper.
an. 1115.

§. XXX.

Guigo Prior Cartusianorum.

Guigo, qui S. Godefridum in Cartusiam susceperat, Ordinis illius Prior numero quintus fuit. Nam secundus fuit Landuinus, qui anno millesimo nonagesimo S. Brunoni successit, & anno millesimo centesimo fati functus est. Tertius erat Petrus, cognomento *Frangois*, qui postquam uno anno præfuit, misericordiam expetiit, id est, licentiam abdicandi Prioris munitus, & obtinuit. Quartus Prior fuit Joannes in Tuscia natus, qui postquam annos octo Cartusiam sapienter rexisset, obiit anno Christi millesimo centesimo nono, ex quo Cartusia exorta esset vigesimo quinto.

Successit Guigo, cognomento de S. Romano ab illa Arce, in qua in lucem a matre editus est, in Diœcesi Valentina posita. Nobiles parentes nactus fuerat,
&

Sup. lib.
LXIII. §.
50
de Instit.
Cart. to. I.
Bibl. Lab.
p. 639.

& adolescens humanis Divinisque literis Sæcul. XII.
A.C. 1115.
 magna cura imbutus est. Ingenium a natura acceperat excitatissimum, memoriam nunquam fallentem, dicendi vim eximiam, unde nullius ex Antecessoribus ejus vel major auctoritas vel illustrior fama fuit. Guigone Cartusie præposito plura ejusdem Instituti monasteria condita, ac inter alia Cartusia de Portis in Diocesi Lugdunensi, anno millesimo centesimo decimo quinto. Item Monasterium Montis Dei in Diocesi Remensi, anno millesimo centesimo trigesimo quarto. Guigo enim Cartusiam annos viginti septem rexit.

§. XXXI.

Anselmus Legatus in Anglia.

Legati a Rudolpho Archiepiscopo Cantuariensi ad petendum Pallium missi aliquamdiu Romæ hæserunt, nullo accepto responso, quod ipsis faveret, nescientes, quem suæ causæ patronum adire oporteret. Romæ autem versabatur quidam S. Anselmi Nepos, ejusdem nominis, carus Summo Pontifici, qui eum Abbatem ad S. Sabam creaverat. Is diu in Anglia, Propinquo suo Anselmo adhuc luce fruente, commoratus, & ab omnibus ita dilectus fuerat, ac si in illa gente natus esset; ubi vero scivit Nuncios Rudolphi Romæ esse, ad eos in Palatio La-

*Sup. §. 25.
Edmer. no-
vor. 5. p. 87.*